



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrīs Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 5. D. Catharinæ Senensi Christus maximè adfuit, cum maximè abesse  
videretur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

54 Cap. III. Alia noui Testamenti exempla.

tis & mari, & facta est tranquillitas magna.  
Nullus vñquam singitur a Poëtis Neptunus  
cœlum tempestatesque tam potenter impe-  
rando serenauisse. Nam et si nec venti audi-  
ant, nec mare, nec morbi; tamen ita obedie-  
unt ei, ac si audirent, imperiumque eius in-  
telligerent: quo pacto etiam surdi, & mor-  
tui vocem eius audierunt. Certè tempesta-  
tes atque morbi sæpe per malos spiritus im-  
mittuntur, quos Dauid vocat, *immisiones per*  
**Psal. 77.** *angelos malos;* igitur increpat ventos Chri-  
**49.** stus, ijsque imperat, ac si malis spiritibus lo-  
queretur. Sunt enim Aquilones, & pestes, &  
dæmones, in eius potestate.

§. V.

*D. Catharinæ Senensi Christus maximè ad-  
fuit, cum maximè abesse videretur.*

Nihil proinde nobis, præsente Christo,  
est metuendum. Etsi absens videatur, adest;  
vti S. Catharinæ Senensi tentatæ & interro-  
ganti: *Ubi eras?* respondit, se cum illa fu-  
isse, & pugnam victoriāmq; illius spectauis-  
se. Libet verbatim referre vtilissima tenta-  
tis documenta, quæ in vita illius ponit Rai-  
mundus ista: *Cum virgo Catharina Senensis,*  
**Raimūd.** *in vita S. multas, à dæmonum infectione, molestias, pro-*  
**Cathari-** *nomine Salvatoris, pateretur, illis fugatis, lux*  
*cæli-*

cœlitus illapsa est cubiculo, & in ea luce Christus crucifixus ei apparuit dicens: Filia mea Catharina, vides, quæ ego, tua causa, perpessus sim? non igitur dubites tu quoq; , propter me, aliquid perpeti. Deinde sub alia specie magis propinquans, blande ei gratulabatur, de triumpho iam obrento. At illa, ubi, inquit, fuisti, mi Domine, cum esset cor meum tot spurcijs dinexatum? & ille, in corde tuo, inquit. Rurus Virgo: at qui fieri potuit, bone IESV, ut tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? Respondit Dominus: cogitationes illæ, quid in tuo efficiebant animo? gaudiumne, an mœrorem? Immò vero, inquit illa, non nisi summum dolorem. Hoc igitur, Christus ait, ego mea præsentia efficiebam: quia si tu ea destituta fuisses, illis spurcijs delectata es; iam verò cum eas profigare velles, nec posse, inde mœror oriebatur: sed me authore & effectore, qui erā intus in corde tuo, & tuebar illud, interim te intus sinens oppugnari, quantum videbatur expedire tibi; sed quando illustrata radio lucis meæ te ipsam sponte obtulisti ad tolerandas eas infestationes, mox eas abscedere insi: neque enim pœnis, sed voluntate pœnas fortiter perferentis ego delector. Tu autem, filia mea, quando non tua, sed mea

næ apud  
Sur. tom.  
2. 29. A.  
pril.

D 4 vir-

56 Cap. III. Alia noui Testamenti exempla

virtute certasti viriliter , maiorem à me gratiam consequeris , & deinceps crebrius atq; familiarius me ipsum tibi exhibebo. Itaque, etiam cum videtur abesse Christus , adest ; & tuin maxime , quando eum dormire maxi-

Cant. 5. 2.

Psal. 120.

4.

mè existimamus. Nam , etsi videatur dormire , tamen cor illius vigilat. Ecce non dormitabit , neq; dormiet , qui custodit Israel. Dominus custodit te , Dominus protectio tua , super manum dexteram tuam. Quæ diligenter animo imprimere debent , quos paulo diutius aduersis probat orbis Moderator. Sinit flare ventos , turbari maria , furere tempestates ; veniri ad extrema , vt & homines ad eum veniant. Neque statim procellas tranquillat ; quin neque statim semper iuocantes exaudit , sed audire se dissimulat , vt incitet ad fortius clamandum. Quare ijs , qui timidi sunt & modice fidei , dormire videtur , cum intentissime vigilat ; & adest , cum abesse putatur , sicut adfuit discipulis etiam alias , & Petro ambulanti super aquam , cum cœpisset mergi. Stulti igitur sunt , & tardi ad credendum , qui se à Deo , cum non statim adest , deserunt autumant , & alium quæunt ex Orco opitulatorem. Reprehensus est ab Aristide & Diogene Plato quondam , quòd , reli-

Matth. 14.

30.

Aristid. in  
orat. cō-

relictis Athenis, Syracusa; in Siciliam, ad Dionysium nauigasset tyrannum. Qua reprehensione digni erunt, qui, Deo relicto, currunt ad veratores, ad magos, ad ipsum cacodæmonem maximum omnium tyranorum, & capitalem humani generis inimicum? Nimirum, qui ex patre diabolo sunt, ad diaboli opem anhelant, sicut in proverbio dicitur: *Bos alienus subinde foras prospectat.*

tra Pla-  
tonem  
Laërt. in  
Diog.

Plutarch.  
in Symp.  
decad. 8.

§. VI.

*Hæmorrhœssa à medicis desperata ad Christum  
confugiens sanatur.*

Non sic fecit mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, duodecim annis; quæ, vt Marcus, signatissimè addit, fuerat multa perpessa à compluribus Medicis: & erogauerat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat. Atque, vt Lucas ait, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari. Quid ergò à medicis desperata fecit? Credidit, Christum etiam in occipitio oculos habere: quare, non in faciem progressa, vt videretur, sed accessit retro, & tetigerit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intrasé: *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* Obseruat S. Augustinus, non om-

Matth. 9.  
20.  
Marc. 5.  
26.  
Luc. 8.  
43.

D 5 nes,